

7795.1.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIS ECCLESIASTICI
DE
**VITA CANONICORVM
COMMVN**¹⁴⁵
EIVSQUE
VESTIGIIS HODIERNIS.
^{AB}

QVAM CVM SVBIVNCTIS
EX VNIVERSO IVRE POSITIONIBVS
IN ALMA IULIO-DVCALI WIRCEBURGENSIVM ACADEMIA
AVCTORITATE INCLYTI IVRECONSVLTORVM ORDINIS
PRAESIDE
IOANNE PHILIPPO GREGEL,
L. V. D. REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI WIR-
CEB. FRANCIAE O. D. CONSIL. ECCLES. IVRIS ECCLES. PROF. PVBL. ORD.
IN SIGNIS ECCLESIAE COLLEG. IN HAVGIS CANON. CAPIT.

PRO
LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
LEGITIME CAPESSENDI
PVBLICAB ERVDITORVM DISQVISITIONI SVMMITTIT
MICHAEL ANTONIVS LOEWENHEIM,
DETTELBACENSIS.

WIRCEBURGI IN AUDITORIO IVRIDICO
DIE XVIII IULII MDCCXCV.

TVPIS FRANCISCI ERNESTI NITRIBITT, VNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

DISSESTITIUS NAVAGI. HIS IAVIS ECCLESIA TIO

E

VITÆ CANDIDICÆ
COMMUNI

EX UNIVERSO IART POCOTOLBA
DIAVIMA IATRO-DAGNI HIRDSARCE

ALOGISTATÆ INDIETTA IARHESON PHTHE

PRAESESIA

JOANNÆ PHILIPPE

REABRINDZ ET GELASS IAR

GRUUVANIE O.D. CONSIL. ECCLÆ IAR

INSCINDS BECRESIÆ DOTTÆ IAR

490

HICENTIA SAVIORS IN ALDOAE

LEOPOLD CIVILLUS

MICHAEL ANTUNDZ JUD

WIGENALI ET IAN ALDOAE

Die XIVII d. III. Mense

1717. A. F. E. F. F. F. F. F. F.



DE
VITA COMMUNI CANONICORVM,
EIVSQUE
VESTIGIIS HODIERNIS.

CAPUT I.

DE OECONOMIA VITAE COMMUNIS VNIVERSIM.

§. I.

Cum de re statutaria Capitulorum Germaniae quedam conscri-
bere meditarer, fere ubique deprehendi, illa omnia, quae
dissoluta vita communi ex eius instituto retineri potuerunt, ho-
die adhuc in collegiis Canonicorum reperiri, &, licet pleraque
vix non omni scopo nunc destituantur, nihilominus anxie seruari,
vt a senescentibus fieri solet in iis vitae moribus, quibus a tene-

ris

ris affluerunt. Operae premium existimauit, in hasce reliquias veteris formae curiosus inquirere, eoquod ex earum originibus quandoque legum vel statutorum recta interpretatio haurienda sit, in quibus antiqua illa instituta probata fuerunt.

Indubium quidem est, plures Ecclesiæ, potissimum collegiatas, vita communi iam dissoluta erectas, plura religiosorum monasteria in collegia Canonicorum deinceps conuersa fuisse, in quibus disciplina a Concilio Aquisgranensi praecepta nunquam viguit; verum hæ nouellæ plantationes ad exemplum illarum efformatae & excultæ fuerunt, quæ olim vitam communem obseruauerant, ut nullum inter utramque speciem discriben occurrat, & ex hodierno statu harum Ecclesiæ non facile liceat iudicare, an vitam communem aliquando abiecerint, an illa alibi iam dissoluta demum instituta; par igitur ratio obtinet, etiam harum intuitu ad illas origines redeundi.

§. v II.

Scepsis An vita communis Canonicorum S. AVGUSTINO Hypponensi Episcopo, an EVSEBIO Vercellensi primam originem debeat, an utraque regula diu seruata, an Ecclesiæ Francicæ communicata fuerit, aliis, quibus vacat, disentiendum relinquo. Mihi tantum propositum est, inquirere, quale vitae institutum medio circiter saeculo octavo a CHRODEGANGO primum Canonicis Ecclesiæ Metensis præscriptum, a COROLO M. dein pro vniuersis Ecclesiæ Regni Francorum probatum fuerit ^{a)}; quid Patres sub auspiciis LYDOVICI pii A. 816 Aquisgrani congregati ad regulam CHRODE-

GANGI

GANGI emendandam & perficiendam contulerint; quae nam nunc
in collegiis Canonicorum ex instituto illo supersint vestigia; quae-
nam vel mutata vitae ratio respuerit, vel dies deleuerit? Illa,
quae velut corollaria e rerum gestarum serie deducam, non omnia
singulis Canonicorum collegiis conuenire, neque haec sibi velut
eium uno similia esse, facile largior; coquod quandoque discor-
diae fratrum, Praelatorum auaritia, vel fastus & profusio, belli
priuati licentia, praepotentium vicinorum rapacitas & alia rerum
adiuncta adhibendis cautelis, incundis pactis, specialibus statu-
tis, obseruantis & vniuersim modis diversimode statui so-
ciali ansam dederint; quae diuersitas quidem status collegialis iden-
ditatem, non tamen similitudinem tollit, velut hominum vultus
sibi similes sunt, quamvis lineamentorum mira varietate & infle-
xione inter se discrepant.

* „Prouidendum omnimodis, ac diligenter exquirendum, qualiter Canonici viuant,
nec non & Monachi, ut vnuquisque eorum secundum ordinem canonice & regu-
lariter viuat. „ Id est, ut refectoria & dormitoria vna simul obseruantur, quem-
admodum iam dudum in capitulis nostris in iunctu habemus.“ Capitul. 4 Ann.
813 apud HARZHEIM Concil. Germ. Tom. I pag. 415. Patres in Concilio
Aquisgranii A. 816 congregati testantur, quod „plerique, auxiliante Christo, de-
note ac religiose cum sibi subiectis canonicam seruent institutionem, & in pleris
que locis idem ordo plenissime seruetur.“ Ibid. pag. 431.

§. III.

Descriptionem vitae communis in duo capita dispescere lu-
buit, quorum primum eius Oeconomiam vniuersim, alterum col-
legii membra, & diuersa Canonicorum officia sifist. Vita com-
munis vniuersim vel necessaria subsidia, velut habitationem, victum,
Claustrum
commune
Canonice
vnum.

A 2

yestie

vestitum respicit, vel exercitationes praescriptas, quae nunc singula perlustranda sunt.

In primis, quod ad communem habitationem attinet, regula Praepositis iniungit: „vt claustra, in quibus Clero sibi commisso canonice viuendum est, firmis vndique circumdant munitionibus, vt nulli omnino intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus“ a). Quae ut exactius obseruarentur, porro constituitur; „vt eligatur a Praelato ex congregacione sibi commissa frater probabilis vitae, cui officii sit, portam Canoniconrum cum summa obedientia & humilitate competenti tempore claudere ac referare, vt nulli per eam, nisi per licentiam, aditus pateat intrandi aut exeundi. Cui etiam obseruandum est, ne eis, quibus cordi est, plus otios vacare, quam diuinis obsequiis incubare, foras euagandi locum praebeat, & eorum nugaram, quod nefas est, particeps fiat. Debet praeterea aduentientes quosque cum caritate suscipere, & Priori addentum eorum causamque nuntiare. Expleto namque vespertino & completorio officio, obseratisque foris, claves earum idem Portarius ei, qui vicem Praelati gerit, ferat, vt nulli horis incompetentibus intrandi aut exeundi maneat facultas, quas etiam ab eodem in crastinum tempore accipiat constituto“ b). Si quis forsan, officii obeundi causa, extra claustrum vocatus ad completorium redire non poterat, ei neque ostia pulsare, neque per aliam portam claustrum ingredi licuit, donec plebi officium nocturnum frequentanti fores Ecclesiae aperirentur c).

a) Re.

a) Regula Aquisgran, cap. 117 apud HARZHEIM Conc. Germ. T. I^o pag. 502.
Inde hodie adiuc das Mänsler, der Bruderhof, der Kreuzgang.

b) Ibid. cap. 143; huic officio sine dubio primam originem debet, quod etiamnum
in quibusdam Ecclesiis reperitur, das Pfortenamt. Vid. WÜRTWEIN N. subf.
Tem. XII, pag. 105. 135.

c) Reg. CHRODEGANGI cap. 4 & 27 apud HARDV IN Concil. Tom. IV, col. 1184
& 1192.

§. IV.

„Ita instituimus, inquit CHRODEGANGVS, vt in illa claustra
ille Clerus canonicus, qui sub ipso ordine, Deo adiuuante vi-
vere debent, vt omnes in uno dormiant dormitorio, praeter
illos, quibus Episcopus licentiam dederit, secundum quod ei ra-
tionabiliter visum fuerit, vt in ipsa claustra per dispositas man-
siones dormiant separatim; & per singula lecta singuli dormiant,
& in dormitorio similiter separatim dormiant mixti cum seniori-
bus propter praevidentiam bonam, vt seniores praeuideant,
quod iuniores secundum Deum agant“ a). Segregationem Ca-
nonici a dormitorio communi potissimum ob aduersam valetudi-
nem & ingrauescentem aeratem permissem fuisse e regula Aquis-
granensi discimus, vbi: „quamvis Canonicis proprias licitum sit
habere mansiones, debet tamen a Praelato mansio infirmorum
& senium intra claustra Canonicorum fieri, vt . . . in eadem suam
aptissime possint tolerare imbecillitatem“ b).

Dormitio-
rium com-
mune,

a) Cap. 3. apud HARDV. l. cit. col. 1183.

b) Cap. 142, HARZHEIM l. c. pag. 512. Conf. regula S. BENEDICTI cap. 22.

A 3

§. V.

§. V.

*Refectoriorum
vrum com-
mune;
mensae se-
cundum
gradus Ca-
nonicorum
separa-
tare;*

Refectoriū quidem commune fuit, ad quod signo dato omnes conuenire, & obseruato silentio lectioni sacrae intendere iubebantur; congregatio vero secundum diueritatem ordinum & officiorum in quinque mensas distributa fuit, quibus quandoque sexta & septima pro reliquo Clero ciuitatensi Ecclesiae cathedrali non adscripto accesserunt. Ita nimisrum CHRODEGANGVS: „prima mensa Episcopi cum hospitibus & peregrinis sit, & ibidem Archidiaconus, vel quibus Episcopus iusserit sedeant. Secunda mensa cum Presbyteris. Tertia cum Diaconibus. Quarta cum Subdiaconibus. Quinta cum reliquis gradibus. Sexta cum Abbatibus, vel quos iusserit Prior. In septima reficiant clerici, qui extra claustra in Ciuitate commandant, in diebus Dominicis vel festiuitatibus praeclaris“ a).

a) Cap. 21. Ibid. col. 1190.

§. VI.

*Refectorioris
modus;*

Quod ad ciborum qualitatem & refectionis modum attinet, regula CHRODEGANGI inter dies, quibus carnibus vesci licet, & inter dies ieiunii discernit; intuitu illorum constituit: „vt Clerus panem, quod sufficiat, accipiat, pulmentum a) vero ad sextam b); carnem inter duos ministracionem vnam & cibaria una accipient c), & si cibaria non habent, tunc duas ministraciones de carne, aut de lardo habeant d). Ad coenam autem aut vnam ministracionem de carne inter duos, aut vna cibaria habeant“ e). Carnem clericis ministratam, saltem plurimam partem porcinam fuisse,

— — —

7

fuisse, e verbis mox adiectis colligitur: „si contigerit, quod illo anno glandis vel fagina non est, (quibus greges porcorum saginari solent) & non habent, quibus licet mensuram de carne implere postea, praeuidet Episcopus, iuxta quam possibilitatem Deus dederit, aut de quadragesimali alimento, aut alio, vnde consolationem habeant.“

a) Hoc vocabulum veteribus non incognitum sequiori aetate maxime in regulis moestificis usurpatum fuit, ubi pro quois obsonio accipitur. DU FRESNE in Glossar.

b) Tempus sextae in horis canonice nomen & hymnus indicant. Sexta enim apud Romanos nostrae duodecimae respondebat. VAN ESPEN de horis Canon, p. II, cap. 3, §. 2.

c) Cibaria idem significat ac frumentum, bladum, atque hoc loco cibos & farina confectos. DU FRESNE l. c.

d) Germania cum tempore adhuc sylvis horrida, paludibus & aquis flagrantibus foeda, aer humidior fuit; eiusmodi soli aerisque temperiem porcis maxime conuenire experientia omnium regionum docet; hinc verosimile est, lardum & carnem porcinam praecipuum alimentorum speciem inter habitatores fuisse. In qua rem asserti meretur ex responsione Zachariae Pontis, ad S. Bonifacium locus, ubi: „nam & hoc inquisiui, post quantum temporis debe lardum comedti? Nobis a Patribus institutum pro hoc non est. Tibi autem petenti consilium praebemus, quod non debeat illud mandi, priusquam super fumo ficeretur, aut igne coquatur. Si vero liber, ut incoatum mandaceetur, post paschalem festiuitatem erit mandu- candum.“ HARZHEIM Concil. Germ., T. I. pag. 89.

e) Reg. cap. 22. Reg. Aquisgran. cap. 122.

§. VII.

De ieunii diebus in eodem capite praecipitur: „illo tempore, quando quadragesimalem vitam debent ducere, tunc ad continuas sextam

sextam inter duos fratres portionem de formatico *a)* & cibaria accipient; & si pisces habuerint, aut legumen, aut aliud quid, addatur & tertium. Et ad coenam inter duos cibaria vna, aut portionem de formatico accipient.*“* Praeterea canonici diuisos inter se hortos colere, atque per vices olera ad mensam sibi vicissim subministrare inbebantur *b)*.

a) Caseus, Gallis formage vel fromage, quod in forma infarciatur, & struatur. DE FRESNE l. c.

b) Reg. Aquisgr. cap. 122.

§. VIII.

*Qualitas
& mensura
potus.*

Exactissima est vtraque regula in determinanda qualitate & mensura potus congregationi fratrum praebendi. Optauerat equidem CHRODEGANGVS, vt Canonici Ecclesiae suae adscripti a vino prorsus abstinerent, sed quia, inquit, id persuadere non possumus, vt vinum prorsus non bibant, saltem in illis ebrietas non dominetur. Praecipit igitur, vt, „quando bis in die edendum fuerit, Presbyteri ad sextam tres calices accipient, ad coenam duos; Diaconi, qui in gradu sunt *a)*, ad sextam tres, ad coenam duos; Subdiaconi ad sextam duos, ad coenam duos *b)*; reliqui gradus ad sextam duos, ad coenam vnum. . . . Si vero conigerit, quod vinum minus fuerit, & istam mensuram Episcopus implere non potest, iuxta quod praeualeat, implet; illi autem fratres non murmurent, sed Deo gratias agant, & aequanimitate tolerent. Nam si esse potest, vt tantum habeant, tunc pro nullo modo remaneat. Et illis, qui se a vino abstinent, praeuideat Episcop.

Episcopus, vel qui sub eo est, vt tantum habeant de cereuisia, quantum de vino habere debuerant. Et si Episcopus voluerit ad suprascriptam mensuram aliquid potus addere, in eius potestate consistat, & de cereuisia eis *consolationem* faciat “ c).

a) Diaconi, qui in gradu sunt, hic discerni videntur ab illis, qui ad hunc ordinem quidem promoti fuerant, sed quod ministerium in Ecclesia praestandum Subdiaconorum, aut aliud inferius officium explebant.

b) Hace diuisio Canonicorum in ordinem *Presbyterorum*, *Diaconorum* & *Subdiaconorum* in pluribus hodieum Ecclesias, tam cathedralibus, quam collegiatis reperitur, & quoniam vi statutorum quandoque requiratur, ut Capitulum ingressuri Presbyteratum suscipiant, nihilominus ratione ministerii in Ecclesia praestandi in ordine Diaconorum vel Subdiaconorum constituti sunt; exemplum vid, apud WÜRDWEIN *Subsid.* dipl. Tom. II. pag. 340.

c) Cap. 23. Hisce consolationibus *distribuciones extraordinariae*, *fercula*, *mausalia* *promta* &c, originem suam debere videntur, quae subin per donationes in hunc finem factas multiplicata & multa fuerunt.

§. IX.

Statutam in regula CHRODEGANGI inaequalitatem in mensura potus concilium Aquisgranense rufus sustulit, & singulis Canonis, sine discrimine ordinis aut gradus, aequale pondus tribui praecepit a); ita nimurum, ut in omnibus locis singuli Canonici singulis diebus vini libras quatuor acciperent; si maiores facultates Ecclesiae id permittant, siue regio vini ferax fuerit, quinque libras singulis vult praeberi. Quodsi vel regio vinifera non fuerit, vel sterilitas vinearum pondus praeceptum praeberi non fuerit, saltem una libra vini singulis per diem exhibenda, reliquum pondus vero in cereuisia, vel, vt etiam vocatur, in potu

*Continua-
tio,*

ex diuersis materiis confecto subplendum erat. Cauetur praete-
rea, satagendum esse Praelatis, vt e vicinis prouinciis viniferis
fratribus vinum procurent; „, quoniam, quamvis in plerisque re-
gionibus vineae non sint, abundat tamen sancta Dei Ecclesia,
Domino attribuente, aliarum rerum copiis, e quibus industria
Praelatorum vinum adipisci, sibique subditis iuxta facultatem po-
cula conferre possunt.“

a) „Propter diuersitates & inaequalitates mensuraram, Nouerat tamen gene-
raliter omnes, libram non amplius, quam duodecim vinciis constare debere.“
Reg. Aquisgr. cap. 123.

§. X.

*Convivia
episcopali*

In regula CHRODEGANGI indicantur certi dies festi, quibus
ab Episcopo Canonicis, quandoque in aedibus episcopalibus,
quandoque in communi refectorio, lautior refectio exhibenda
fuit; ita enim habet: „Episcopus in Natiuitate Domini & Pascha
Domini in domo a) ipsis clericis refectionem faciat, si praesens
est b); & si absens his diebus est, tunc in eorum refectorio
habeant refectionem sufficienter, sicuti superius scriptum est.
Et postquam de refectorio exierint, in Caminata c) bibant duas
vices aut tres, qualiter consolatio fit, & ebrietas non domi-
netur. Et Epiphania Domini, & media Pascha, & clausum
Paschae, & ascensione Domini & Pentecoste & Natalitiis Epis-
copi, istos dies Episcopus eis in refectorio ad sextam refectionem
faciat“ d).

c) Reg.

- ¶) Per dominum hic aedes ad habitationem Episcopi destinatas, & monasterio Canonicorum contigas intelligi, inde colligitur, quod refectio in domo ab Episcopo praesente, ab illa in communali reectorio Episcopo absente exhibenda discernatur.
- 6) Quantum scio, mos hic, in certis anni festis, potissimum episcopalibus, Capitulum Ecclesiae cathedralis solenni coniuncto extipendi, in omnibus Archi- & Episcopatibus Germaniae usque ad nostra tempora retentus fuit,
- c) Camera, in qua Caminus extat, DU FRESNE.
- ¶) Cap. 38.

§. XI.

Cum Patres concilii Aquisgranensis de vestitu Canonicis
praebendo nihil praescribant, sed prohibeant tantum, ne Canonici, quod fieri solebat, Monachorum cucullis vrantur; ne vestis sit plus iusto cultior, vel insolita, vel deformis, in quibus vel elationis, vel simulationis noxam latere dicunt a), hinc illis adquiesce videantur, quae de vestitu Canonicis praebendo in regula CHRODEGANGI sequentibus constituta fuerant: „illa media pars Cleri, qui seniores fuerint, annis singulis accipient capas nouas b), & veteres, quas anno preterito acceperunt, semper reddant, dum accipiunt nouas. Et illa alia medietas Cleri illas veteres capas, quas illi seniores annis singulis reddunt, accipient; & illi seniores illas capas, quas reddere debent, non commutent. Sarciles c) accipient illi Presbyteri, qui ibidem in domo assidue deseruunt, & illi Diaconi septem, qui in eorum grada consistunt, aut lanam, unde ipsos sarciles binos in anno habeant, & ille alias Clerus unusquisque singulis d) autem accipient illi Presbyteri & Diaconi

Vestitus
Canonico
rum.

annis singulis binos; Subdiaconi Camislo cum dimidio, & illi, qui in reliquis gradibus sunt, singulos e). Calecamenta vero omnis Clerus annis singulis pelles vaccinas accipient, & soleas paria quatuor[“] f).

a) Cap. 124.

b) Fuit tunicae taxioris & talaris species, quae cacteris vestibus superaddebatur, cum foras aut peregre proficisciendum esset. DU FRESNE. Vero similiter caputio instructa fuit, quia ISIPORVS etymologiam capae inde repetit, quod quasi totum capiat hominem.

c) Vestis, vel potius panni species. Ibid.

d) Veste lineae, vel lanceae, vel canabinae. Ibid.

e) Haec inaequalitas in distributione vestimentorum, quae, ut vidimus (§. VIII), secundum regulam CHRODEGANGI etiam in distributione potus obseruata fuit. Olegris ansam dedisse videtur; vero enim simillimum est, quod vita communia dissoluta senioribus Canonis prae iunioribus redditus quidam praecipui assignari fuerint, quia vita communia adhuc vigente iam plura & maiora prae his perceperant emolumenta.

f) Cap. 29.

§. XII.

Canonicum opes. Opes Ecclesiistarum, potissimum cathedralium, iam ab incunabulis vitae communis ingentes fuisse, e regulae Aquisgranensis cap. 122 discimus, in quo ratione facultatum in maiores, medios & minores distribuuntur. Ad primam classem referebantur, quae versus ad octies milletos mansos possidebant; ad secundam, quibus bis mille, aut saltem non infra mille mansi erant; ad minores denique, quarum possessiones millenarium mansorum numerus

numerum non aequabant. Si terris cultis addantur siluae, quibus tum temporis Germania abundauit, aliaeque terrae incultae, ingentem quandoque districtum ab una Ecclesia possessionem fuisse facile comprehenditur.

§. XIII.

Has opes tam per donationes inter viuos, quam per dif- *Earumvis
crementa.*
positiones mortis causa a fidelibus plurimum auctas fuisse, in-
numera, quae nunc typis excusa sunt, documenta ostendunt.
Eas in immensum crescere necesse fuit, si, quod instituerat
CHRODEGANGUS, aliquamdiu fuerit retentum; hic nimurum nullum congregacioni adscriari permisit, nisi bona sua patrimonialia Ecclesiae donasset, solo usufructu donanti, si ita voluerit,
per precariam ad dies vitae reservato a).

a) „Quicunque se ad hunc ordinem canonicum . . . sociare voluerit, de rebus quas habet, solenniter donatione per praesentem donet Ecclesiae B. Pauli ad opus Dei, vel Clericis ibidem defecientibus; faciat & precariam, si ita ei placeverit exinde ab Episcopo recipiat in ea ratione, ut, dum adiuuet, ipsas res usufructuario ordine habeat, & post obitum eius cum omni integritate ad Ecclesiam, cui datae fuerint, vel ipsius congregationis, absque vilius confignatione, vel expectata traditione revertantur. . . Et Clerici de ipsis rebus, quas in precariis habent, neque de terris, neque de vineis, aut sylvis, pratis, domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, vel quibuslibet rebus immobilibus minuendi, aut vendendi, aut communicandi potestatem non habeant.” cap. 31.

§. XIV.

Vita Canonicorum fere omnis in horis canonicas recitan-
dis aut cantandis occupabatur, in quam rem tot in utraque *Canonica-
rum exerci-
tationes;*

a) Officium regula praecepta reperiuntur, ut ex eorum numero iam suspicari
distinguiam.
b) Capitu- liceat, easdem preces, singulis diebus, statim horis uniformiter
lum.
recitandas hominis etiam inculti genio non conuenire; sed
creare taedium, & sensim in actus mechanicos degenerare;
quibus corpus magis occupatur; quam animas. His igitur
omissis, illa tantum paucis attingam; quae communem viuendi
ordinem concernant.

Celebrato officio nocturno & Prima Cinonici ad **Capitu-**
lum a) conueniebant; in quo S. Scriptura, homiliae Patrum &
caput regulae praelegebantur; simul etiam communis consilio dœ-
suebantur negotia collegii salutem concernentia b) :

c) .. ideo autem ad capitulum omnes quotidie conuenire constituius; ut & anima
verbum Dei audiat, & quod Episcopus, vel Archidiaconus, vel quilibet tunc praes.
esse videtur, ibidem, quod subiecte habeat, habeat & quod corrigere, corrigat;
vel quod faciendum sit ordinare habeat." CHRON. cap. 8. Regula vero Agustini
gran. cap. 123. "Ut quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem
& aliarum Scripturarum S. lectio[n]es perlegant, & pro admisis veniam postulent, &
sententiam pro qualitate admitti lascipient; ubi etiam de communis profectu &
butilate Ecclesiae perit tractent;"

d) Inde **Capitula** Canonorum originem habent, in quibus de negotiis collegiis
conclusa sunt, & statuta conduntur. Cum vita communi dissoluta prælectiones
sacrae in desuetudinem abirent, atque tantum de honorum administratione & dif-
penzione; de iuribus Ecclesiae tuendis, & augendis agerentur; Canonici juniori,
qui ob inserviam aetatem nequit omni rebus suis præesse, poterant, ab hisce commen-
tibus excludebantur; inde distinxerunt inter Canonicos **Capitulares** seu domino[n]i
maiores, & minores vel **Domicellos** **Domicellares**.

§. XV.

E Capitulo Canonici ad laborem manuum procedebant, <sup>a) Labor
manuum
vel labore.</sup> qui vel in opere publico impendebatur, vel in laborantis cuiuslibet utilitatem priuatam cedebat, ita enim regula CHRODEGANGI habet: "Otiositas inimica est animae; propterea decernimus, ut ad iussionem Episcopi, vel Archidiaconi, vel Primicerii . . . Clerus de capitulo ad opera, vbi eis iniungitur, exeant, & cum bono animo absque murmuratione obedientiam suam expleant; & quando communem operam non est necesse facere, postea unusquisque, quod opus habet, faciat" a). Regula vero Aquisgr. constituit: ut non otio vacent . . . sed potius orationi, aut lectioni, aut quibuslibet Ecclesiae, aut certe propriis utilitatibus vacent; aut etiam doctrinis sanis, & diversarum artium erudiantur disciplinis; ita videlicet, ut nullus in congregatione inutilis aut otiosus existens stipendia Ecclesiae inofficiosus accipiat" b).

a) Cap. 9. Conf. regula S. BENEDICTI cap. 48.

b) Cap. 123; quamvis igitur horarum canonicularum frequentatio inter praecipua Canonicorum officia referretur, hoc tamen non unicum esse, neque in Biographia Canonici omnem rem bene & utiliter gestarum paginam implere debere. Patres concilii Aquisgranensis per densam aevi sui caliginem viderunt,

§. XVI.

Quae de morum correctione a CHRODEGANGO praecipiuntur, vix non omnia e regula S. BENEDICTI excerpta sunt a). Patres vero Concilii Aquisgr. statuunt: fraternalae correctionis modum

*Morum
correctionis*

modum in Euangeliō praecriptum obseruandum esse, inobedienti, publica obiurgatione frustra correpto, subtractis coeteris alimentis, non nisi panem & aquam praeendum, dein congrua verberum castigationem adhibendam, eiusque latera, ne indurescant, iuxta Salomonem virgis assidue tundenda esse b); quodsi vero vel aetas, vel qualitas personae c) perniciacem verberibus castigari non suerit, porro praecipiunt: „vt sit locus intra claustra Canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, & secundum modum culpae castigentur, vt iuxta Apostolum d) traditi satanae in interitum carnis spiritus saluus sit in die Domini“ e).

a) Vid. Cap. 14—19 & cons. cum reg. S. BENED. cap. 23—27 & 30.

b) Ecclesiastici XXX, 12.

c) Nobiles, aut etiam ad ordinem eminentem promoti.

d) I Cor. V, 5.

e) Cap. 134. Hinc per obseruantiam orta esse videtur *jurisdicō domēstica*, quam olim Ecclesiae etiam collegiares exercuerunt, & hodie plerumque Ecclesiae cathedrales in suis exercent; hanc obseruationem confirmat cap. 13 de officio iudiciorū, in verbis: „Excessus tamen Canonicorum cathedralis Ecclesiae, qui confiteruntur corrigi per Capitulum, per ipsum in illis Ecclesiis, quae talēm hacten consuetudinem habuerunt . . . corrigantur.“

CAPUT II.

DE DIVERSIS CANONICORVM OFFICIIS.

§. XVII.

Non omnes illos, qui in congregatione viuebant, simul etiam albo Canonicorum adscriptos, & iurium collegialium confortes fuisse, tam ex regula CHRODEGANGI *a)*, quam ex Aquisgranensi perspicitur, quae discriben inter Canonicos, aliasque Clericos in congregatione viuentes hisce verbis aperte innuerre videtur: „Est nempe rationabile, iustumque coram Deo & hominibus, vt in unaquaque canonica congregatione, a minimo usque ad maximum, cibum & potum omnes aequaliter accipiant, hi videlicet, qui propter aliquam utilitatem in numero Canonicorum fuerint admissi “ *b)*; ad quem locum illustrandum notum esse suppono, illo aeuo nemini ordinem collatum fuisse, nisi simul adscriberetur matriculac vel canoni Clericorum Ecclesiae, in qua ordo suscepimus exercendus erat; illos igitur omnes & solos in numero Canonicorum fuisse iudico, qui per accep-
 tam facultatem ministerii, seu per ordinationem, Ecclesiae utilitatem aliquam praestare poterant. Constat praeterea, quod pars reddituum ad sustentationem Clericorum in Ecclesiis ministerium sacrum obeuntium destinata fuerit; quae destinatio ex eo immutata non fuit, quod Clerici ad vitam communem agendam adstringerentur; sed potius in regula Aquisgranensi denuo inculcatur *c)*; qui igitur ob defectum ordinis sacram militiam nondum sequebantur, etiam Ecclesiae stipendiis ali, & ordini Canonicorum adscribi non poterant; inter quos potissimum pueri a

In congregations viuentes erant vel Canonicis vel extra msi.

parentibus oblati referendi sunt, de quibus mox (§. XXIX) i-

cendi occasio recurret.

a) „Si aliquis ex Clero infirmatur, qui ad hanc ordinem se *peculiarius iunxit*,“
Cap. 28, Cap. 2.

b) Cap. 12L.

c) Fideles . . . suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut
his & milites Christi alerentur, & Ecclesiae exornarentur, pauperes recrearantur “ &c. Cap. 116. Inde natum esse videtur discrimen inter Canonicos pre-
bendatos & non prebendatos, qui *Canoniam*, ut aiunt, *sine praebenda obtin-
ent*, & reuera inter expectantes referendi sunt, quo pertinent cap. 9 & 19 de
praebendis & cap. 8 de *concessione praeb.*, quorum summaria habent: *recepio in
Canonicum*, quam cito facultas se obtulerit, debetur *praebenda*.

§. XVIII.

*Ius recipi-
endi Cano-
nicos.*

Ius recipiendi noua collegii membra, siue, ut vita com-
muni dissoluta dicere solemus, ius conferendi canonicatus &
praebendas soli Episcopo in Ecclesiis cathedralibus, atque sub
eius inspectione Praepositis in collegiatis competuisse videtur;
hos enim solos alloquitur Concilium Aquisgranense, vbi de re-
cipiendis Canonicis agit a). Cum tamen negotia grauior, ipso
tissimam conseruationem & perfectionem Collegii concernentia,
ad quae nouorum membrorum in Collegium cooptatio referen-
da est, communi consensu in Capitulis definirentur, verosimile
esse iudico, Episcopos de recipiendorum numero & selectu com-
mune cum congregatione consilium iniisse. Facta dein separa-
tione mensae Episcopalis ab illa Canonicorum, ad sola Capitu-
la sensim transit ius ordinarium conferendi Canonicatus, quod
hodiecum adhuc obtinent b); ad illud adquirendum potissimum
facie-

faciebat: quod tmo ius adsciscendi nouos sodales collegiale esse, proin soli congregationi Canonicorum excluso Episcopo competere videretur; adeo facta bonorum hucusque communium divisione, & certa portione mensae episcopali assignata, Episcopi tacite iuri disponendi de redditibus Canonicorum propriis renuntiassent; econtra 3tio collegia Canonicorum, e quorum separatis redditibus neorecepti sustentabantur, Patronis comparari possent, qui vel beneficia fundarunt, aut a fundatoribus causam habent; denique 4to eodem fere tempore ordinatio ab assignatione ministerii in certa Ecclesia obeundi sciungeretur, ideoque Clerici iam ordinati admissio in communionem reddituum, absque interueniente auctoritate Episcopi, eo facilius locum habere potuerit.

a) Vid. Cap. 118. 119. 122., quorum verba mox citanda sunt;

b) Id ostendi in Programmate: *de iure beneficia reservata vi indulti conferendi §. XXIX. seq.*

§. XIX.

Nullibi, neque in regula CHRODEGANGI, neque in Aquisgranensi certus pro qualibet Ecclesia Canonicorum numerus determinatur, sed haec tantum Praepositos monet, „vt in Ecclesiis sibi commissis non plures admittant Clericos, quam rations finit, & facultas Ecclesiae suffpetit; ne, si indiscrete & extraordinarie plures aggregauerint, nec ipsos gubernare, nec ceteris Ecclesiae necessitatibus, vt oportet, valcent adminiculari. Sunt namque nonnulli, vanam gloriam ab hominibus captantes,

*Recipitu-
dorum nu-
merus.*

C 2

qui

qui numerosam Cleri congregationem volunt habere, cui nec animae nec corporis curant solatia exhibere. . . Proinde Praepositis solerter prouidendum est, vt in hoc negotio modum discretionis teneant; scilicet, vt nec plus, quam oportet, & possibilitas Ecclesiae suppetit, in congregationem admittant, nec eos, quos rationabiliter gubernare possunt, causa auaritiae abiiiant“ a). „In locis igitur, vbi permodicae sunt res Ecclesiae, aut forte quorundam abstractu valde attenuatae, pauci numero, magni tamen constituantur officio“ b).

a) Cap. 118.

b) Cap. 122. Tum temporis igitur de fixo Canonicorum numero & *Capitulis clausis* nondum cogitatum fuit; sed vita communis dissoluta Collegia Canonicorum statim animaduertere debuerunt, redditus, qui ad exhibendam mensam communem abundabant, ad oeconomiam cuiuslibet priuatam non sufficerent; necesse igitur fuit, ut, communione vitae sublata, in quibusdam Ecclesiis diminueretur numerus Canonicorum, & in omnibus ita determinaretur, vt tantum tot in communionem redditum admitterentur sodales, quot salus bonorum substantia ex illis sustentari poterant. Sicut vero in rebus angustis diminutio numeri permissa, ita, cum tantum ad audiendam rem priuatam Canonicorum tenderet, prohibita fuit, quo pertinet cap. 12 de constitutionibus in verbis: „ex parte Episcopi Eduensis fuit propositum, quod Canonici Eduenses propriis commodis inhabantes praebendarum numerum ab antiquo in Ecclesia Eduensi statutum, licet non sint diminuti eius redditus, restrinxerunt; nolentes igitur“ &c. Conf. cap. 10 de concess. praeb. cap. 22, 26 de praebendis, cap. 25 eod. sit, in 6to, cap. 3 de concess. praes, in 6to, in quibus de Ecclesiis numeratis & non numeratis, de Canonicorum numero vi priuilegii palis vel per statuta determinatio agitur.

s. XX.

§. XX.

In neutra etiam regula speciales determinantur qualitates ^{Recipiendorum qualitates,} eorum, qui in congregationem Canonicorum recipiendi erant; hinc recte colligitur, alias qualitates desideratas non fuisse, praeter illas, quas ad ordines suscipiendos sacri Canones prescrisperant; eo ipso enim, quod quis collegio Canonicorum adscriberetur, etiam ad ministerium Ecclesiae in superiore vel inferiore gradu obeundum destinabatur, quod sine ordinis susceptione peragi non potuit. Tantum vero abest, ut ingenuitatis vel nobilitatis qualitas in recipiendis requireretur, ut potius a quibusdam Episcopis non nisi serui Ecclesiarum ad collegia Canonicorum adsciti fuerint, quem abusum quidem e priuato studio facilioris regiminis, ex avaritia, vel e dominandi libidine ortum iam CAROLVS M. prohibuerat a), & Concilium Aquisgranense denuo reprehendit, atque ex ea ratione, quod nullus apud Deum acceptio personarum, nullam conditionem a collegiis Canonicorum excludi praecepit b).

a) A. 789, cap. 72., „Et non solum steriles conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent;“ Apud HARZHEIM Conc. Germ. T. I. pag. 282.

b) „Sunt nonnulli, qui tantum ex familia ecclesiastica Clericos in sibi commissis congregent Ecclesiis, & hoc ideo facere videntur, vt, siquando eis aliquod incommode fecerint, aut stipendia opportuna subtraxerint, nihil querimone se contra se oblicere praesumant, timentes scilicet, ne aut severissimis verberibus afficiantur, aut humanas ferunti danno crudeliter addicantur. Hoc autem non ideo dicunt, vt ex familia Ecclesiae probabilis vitae in congregatione non sint admittendi, praesertim cum apud Deum non sit acceptio personarum, sed potius, vt, propter quam intulimus occasionem, nullus Praecatorum seclusus nobilibus, viles tantum in sua congregatione admittat personas;“ cap. 119.

C

§. XXI.

*Continua
tio.*

Vita communis, monasticae simillima, nullas suppeditauit illecebras, quibus homines armis, venationi & otio assueti, quales tunc temporis ingenui & nobiles erant, capi potuissent; sed fractis aliquando inuisi claustris repagalis mira rerum conuersio subsecuta est; nos enim in extremo opposito haerere, Ecclesiastical cathedralis fere a solo militari genere occupatas, non conditioni seruili tantum, sed ordini etiam ciuico aditum ad eas praeclusum esse videmus. Non est difficile, huius mutationis causas reperire: vita enim communi abiecta nihil officii superesse videbatur, quam horarum canonicarum decantatio, quam, instituta comparatione inter beneficia ecclesiastica & saecularia seu feuda, in constitutos responsales, quos hodie Chori Vicarios nominamus, velut subvasallos devoluerunt *a)*; mox etiam beneficiorum pluralitas inualuit, cum summi Pontifices saltem cum illustribus & literatis dispensandum esse putarent *b)*; inde per statuta diminuta fuit residentia, & haec ipsa denou per varias indulgentias *c)* in quibusdam Ecclesiis ad tempus breuissimum reducta, vt eo facilius plurium praebendarum pingues redditus percipi possent; hinc nemini mirum videbitur, quod institutum Canonicorum in tanta reddituum affluentia e militari genere procreatis ita praeplacere coepit, ut non tantum Canonici & praebendas appeterent, sed pedetentim etiam suo generi vindicarent.

a) In statutis Ecclesiae Hildesiensis habetur: „qui legitime impeditus venire non poterit, mittet pro se idoneum respondentem.“ Vide etiam WURDTWIRIN, *subtilis. dipl.*, Tom. I, pag. 51, Tom. III, pag. 91. Hi Vicarii temporanei erant, a Canonis.

monicis pro tempore absentiae quasi conducti; alii dein inde beneficii constituti fuerant, qui se *Vicarios perpetuos* nominarunt; vid. subscriptiones in diplomate apud WÜRDWEIN Nou. Subsid. Tom. I. pag. 325. Tom. XI. pag. 178. G. LUD. BOEHMER obseru. iur. canon. obseru. VI. in appendice docum. pag. 233, sequ.

- ¶ Cap. 28. de Praebendis, cuius initium ostendit, iam plura beneficia & dignitates in uno subiecto coniuncta fuisse. Substitutio aliorum in officio psallendi, diu ante vitam communem Canonicorum iam aeo. Insiniani introducta fuit, ut pater ex eius constitutione in l. 42 §. 10 Cod. de Episcopis & Clericis, cuius verba a moribus quorundam Canonicorum aequi nostri non prout aliena hic describo: „præterea fancimus, vt omnes Clerici per singulas Ecclesiæ confituti per se ipsos psallant nocturna, & matutina & vespertina, ne ex sola rerum ecclesiasticarum consumtione Clerici apparetur, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non habentes Clerici... Si enim multis laicorum, vt suae animæ consulant, ad sanctissimas Ecclesiæ confluentes studijs circa psalmiodiam ostenduntur, quemodo indecens non fuerit, Clericos ad id ordinatos non implere suum munus?“
- ¶ E. g. certo tempore ad equitandum, ad curandam valetudinem concessio; peregrinatione aliqua sacra pro determinato tempore residentiae computata; aut concedendo gratiosam absentiae veniam, & quae sunt similia. Ipsa residenti obligatio in cathedralibus Ecclesiæ ad unam partem officii ita restricta fuit, vt, qui vel Martinino, vel summo Sacro aut Vesperis intersunt, pro integra illa die in Ecclesia sedis censeantur.

§. XXII.

Diversa in vita communis Canonicorum officia occurunt, quae negotiorum diversitas, vel instituti ratio exigebat; inter haec potissima sunt officia Praepositi seu Archidiaconi, Primi-
cerii, Scholastici, Cantoris, Cellarii, Portarii vel Janitoris, & Ptochotrophii Praefecti.

Suprema equidem & immediata congregationis cononicae cura, Episcopo incumbebat, verum ob sollicitudinem toti Dioce-
cessi

*Diversa
Canonicorum
officia.*



cesi impendendam, ob itinera ad Concilia prouincialia vel Placi-
ta generalia fuscipienda, ob visitationem Dioceſeos vel missio-
nem Dominicam obeundam facile preeuideri potuit, eum coad-
jutoribus in suo munere indigere; hinc vbiunque Episcopo quid-
quam iniungitur, haec adhibetur formula: ut Episcopus, *vel*
qui sub ipso est, prouideat, iudicet, corrigat &c. Quamuis igi-
tur vniuersae congregationis cura Episcopo tanquam eius Recto-
ri primario iniuncta fuerit, singulae partes tamen per substitu-
tos officiales expleri poterant, si Episcopus iusto impedimento
detinebatur.

§. XXIII.

*Generalia
de his offi-
ciis.*

Ius distribuendi haec officia penes solum Episcopum fuit,
qui, nulla habita ratione ordinis, gradus aut senii, determi-
natis functionibus illos praeficere potuit, quos prae reliquis
magis idoneos esse iudicabat, eoquod officiales Episcopi tantum
vice fungerentur, a quo etiam necessaria auctoritate ad com-
pescendos inobedientes instruendi erant. Coeterum in officio
constituti tum demum ab eodem remouebantur, cum congrega-
tioni inutiles, muneris sui negligentes essent, & saepius in-
cassum moniti non respiserent a).

Sed cum inter Episcopos & collegia Canonicorum de ad-
ministracione, vſu & dispensatione reddituum saepius rixarum
& inuidiae materia oriretur, quod Episcopi quandoque, parco
victu Canonicis relicto, amplissimos redditus in consanguineos
profunderent, vel lautissime viuendo dissiparent, res eo de-
ducta

ducta fuit, ut Episcopi, sua parte ex massa hucusque communis accepta, primum a vita communi secederent, & Canonicis similiiter res separatas haberent. Si igitur ab hac epocha, ut (§. XVIII.) vidimus, collegia Canonicorum sensim ius priuatuum recipiendi unos sodales sibi vindicarunt, multo magis a iudicio & speciali fiducia Capituli pendere debuit electio illorum, quibus cum administratione bonorum & negotiorum salus collegii concredita fuit; ad haec officia vero potissimum pertinent illud Praepositi & Decani, quae, quantum scio, etiamnum ubique electiva sunt b); Episcopis quandoque relictum fuit ius denominandi ad officium Custodis & Scholastici, quibus nullus cum salute collegii nexus intercedit.

a) „Oportet Ecclesiae Praelatos, ut de congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonii fratres, in quibus onera regiminis secure possint partiri; quibus etiam talem conferant potestatem, ut vice illorum fungentes, inobedientes canonica censura corriperem valeant . . . non enim continuendi sunt personaliter, aut ex ordine, quo in collegio fratrum admissi sunt, sed secundum vitae meritum, & spiritualium donorum praerogativam . . . Qui etiam . . . si ciebro admoniti incorrigibiles extinerint, a ministerio propellantur.“ Reg. Aquisgr. cap. 138. Conf. regula S. Benedicti cap. 21.

b) Quamvis summi Pontifices quasdam Praeposituras ut referatas conferant, per hanc tamen referationem non ius Episcopi, sed ius eligendi Capitulo competens impeditur.

§. XXIV.

Ad omnes munieris episcopalis partes Praepositus vocatus fuit, cui cura congregationis in spiritualibus & temporalibus sub Episcopo incumbebat a). Verum, ut fieri solet inter homines, qui rerum sibi vicinarum & in sensu incurrentium illecebris for-

D

tius

tius trahuntur, quam spiritualium, quas non nisi fide aut intellectu assequi licet, Praepositi, cum mensa Episcopi ab illa Canonicorum sciuncta esset, neglecta disciplina domestica, plerumque in villis ad Ecclesiam pertinentibus commorabantur, bonis temporalibus & redditum perceptioni intenti, quos quandoque in rem suam priuatam vertebant, ut eadem contentiones de iniqua rei communis dispensatione, quae paulo ante Episcopos & collegia Canonicorum diuiserant, nunc inter haec & Praepositos recrudescerent.

a) Praepositi iam tam temporis curam bonorum & redditum gestisse, patet ex regula Aquisgr. cap. 139, ubi: „debent igitur cunctae congregationi viriles esse, & de ministerio sibi commisso fideleriter prodeesse. Ea vero, quae fratribus dare debent, cum caritate tempore opportuno invenstanter praebant.“ In regule CHRODEGANGI Praepositus ubique sub nomine Archidiaconi occurrit.

§. XXV.

Eius vestigia hodie non
Inde plura manarunt instituta, quae nunc adhuc in collegiis
Canonicorum perdurant; cum enim

imo Praepositus in vita communis, plurimum in negotiis Ecclesiae temporalibus occupatus, censeretur legitime absesse, ideo hodiecum in plerisque Ecclesiis a Residentia prorsus immunis est a); cumque

2do ob eandem rationem congregationibus capitularibus rariissime interesset, ab illis sensim in quibusdam Ecclesiis saltem per obseruantiam exclusus fuit; imo res aliae plena videri poterat, Praepositum ad congregaciones capitulares admittere, eoquod ipsius

ipius & Capituli studia circa usum & dispensationem rerum temporis in diuersa trahentur b); quamvis vero

3tio hae lites per pacta & capitulationes cum neelectis initas ita sopiae fuerint, ut praesentia Praepositi in conuentu capitulari deinceps innoxia videri potuerit, nihilominus hodiecum plures Praepositi secundum formam antiquam spondere tenentur, quod Capitulum congregatum nonnisi vocati accedere velint; aut saltem directorum negotiorum ita petes Decanum fuit firmatum, ut praesente Praeposito nihilominus praesideat & deliberanda proponat; denique

4to vi eorundem pactorum in pluribus Ecclesiis ius colligendi & administrandi certos redditus ita Praeposito fuit relictum, ut singulis collegii membris praebere teneatur fructus grossos, in determinata quantitate frumenti & vini consistentes, quos corpus praebendae vocant c).

a) In Ecclesia cathedrali Spirensi nequidem distributiones praesentibus dari solitas sunt; etiam diuino officio interfit, adeo a servitio chori aliena esse censetur.

b) Vid. STRUBEN R. Bedenken Th. II, Num. XL Von der Domprobstie Sitz und Stimme im Capitulo.

c) WERDTWEIN subfd. dipl. Tom. I, pag. 257.

§. XXVI.

Decani vocabulum in institutis vitae communis Canonico-^{a) Decani,}
rum non occurrit; in regula vero S. Benedicti praecepitur: „Si
maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimo-

nii & sanctae conuersationis, & constituuntur *Decani*, qui sollicitudinem gerant super Decanias suas in omnibus secundum mandata Dei & praecepta Abbatis sui^{a)}. Hinc denominationem in claustra Canonicorum transisse, & illi fuisse tributam, verosimile est, qui primum locum post Praepositum tenebat, hunc vero a Primicerio occupatum fuisse, e quibusdam capitibus regulae *CHRODEGANGI* colligitur b); Primicerium igitur Decani munus vita communi dissoluta obiisse, eo magis verosimile est, quod ipsius nomen & Dignitas, nisi in Decanalem conuersam esse dicamus, prorsus disparuisset.

a) Cap. 21, Decanus denis monachis praefectus fuit; hinc quandoque plures Decani in eodem monasterio constituti fuerunt, hanc disciplinam etiam in monasteria *Canonicorum migrasse ostendit Guili*, *HOFFMANN* in *Dissert. de Decanis & Decaniss* §. 11.

b) Cap. 3, 4, 25 & 34, in quibus primum ab Archidiacono seu Praeposito locum teneret.

§. XXVII.

y) Praefecti cellae vienariae & pistrinarii. Cum magna pars oeconomiae domesticae in pane & vino Canonicis praebendo considereret, Episcopo in regula Aquisgrani iniunctum fuit: „vt fratribus Cellarium non vinolentum, non superbum, non tardum, non prodigum, sed moribus honestum ac Deum timentem constituat, qui & stipendia fratrum fideliter seruet, & diligenti cura administret, & in administrando nullatenus fratres contristet; cui etiam pistrinum fratrum committendum est, vt illud ita vigilissima cura custodiat, ne ministri ibidem deputati anonam fratrum aut furtim subripiendo, aut

aut alio quolibet modo negligenter viuendo dissipent. Hi vero famuli eligantur de fidelissima Ecclesiae familia, & his officiis diligenter erudiantur, ut scilicet & pictoria arte & fidei puritate (?) necessitatibus fratrum opportunissime valeant suffragari. Eadem quoque forma de Cocis seruanda est a).

a) Cap. 140. Primum officium hodieum superest, alterum exoleuit, postquam panes
præbendales non amplius in natura inter Canonicos distributi fuerunt.

§. XXVIII.

Tales regula Aquisgranensis Cantores constitui iubet, qui „, suauitate lectionis & melodiae & doctos demulceant, & minus doctos erudiant“^{a)} a). Non vnum tantum, sed plures in qualibet Ecclesia tum temporis constitutos fuisse Cantores, toturi citati capitis argumentum prodit. Cantorum munus tum in persoluendo diuinio officio, tum in erudiendis aliis huius artis adhuc ignarioris versabatur; quoad primum ipsis iniungitur, ut prouideant, „, quando temperate, quandoque submisse diuinum agatur officium, scilicet ut secundum numerum Clericorum, & officii qualitatem & temporis prolixitatem cantum protendant, & voces moderentur caeterorum. Sonum etiam vocalium literarum ornate perspiciant. His vero, qui huius artis minus capaces sunt, melius conuenit, ut fileant, quam cantare volendo, quod nesciunt, aliorum voces dissonare compellant.“ Quoad alterum praecipitur: „, ut constiuantur seniores fratres probabilioris vitae, qui tempore statuto vicissim cum Cantorum schola sint, ne hi, qui discere debent, aut otio vacent, aut inanibus & superuacuis fa-

D 3

bulis

bulis infestent^a b). Cantorum Schola desississe videtur, cum Canonici inualascente beneficiorum pluralitate responsales, seu vicarios constituere tenerentur.

a) Cap. 132.

b) Cap. 137. E schola Cantorum derivandae esse videntur fundationes, quae hodie, dum pre pueris choralibus (*Chorkaben*) in quibusdam Ecclesiis existant,

§. XXIX.

^{a)} Schola
felicis

Eadem regula Ecclesiarum Rectores inuigilare iubet, „vt pueri & adolescentes, qui in congregacione sibi commissa nutriuntur vel erudiuntur, ita iugib[us] ecclesiasticis disciplinis constringantur, vt eorum lasciuia actas, & ad peccandum valde propinquas, nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus prorutat. Quapropter in hisce custodiendis, & spiritualiter erudientis talis a Praelatis constituerendus est vitae probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita artissime constringat, qualiter ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritualibus induiti, & Ecclesiae utilitatibus decenter parere, & ad gradus ecclesiasticos quandoque digne possint promouer^c a). Quamvis de disciplinis a Scholastico tradendis in hac regula nihil occurrat, id tamen tum a fine indigitato, tum aliunde velut notum supponi videtur, eoquod iam a CAROLO M. praeceptum fuisset, „vt scholae legentium puerorum fiant, psalmos, notas, computum, Grammaticam per singula monasteria vel Episcopia (clastra Canonicorum cathed.) discant; sed & libros catholicos bene emendatos habeant^c &c. b). Scholis illis clausis

claustralibus cum vita communi cestantibus, in quibusdam Ecclesiis iuniores Canonici in domo Scholastici, velut in communi Paedagogio instituti fuerunt; donec studiis generalibus, ut vocabantur, vel Academiis erectis, etiam Scholasticorum paedagogia diffluere coeperint, atque iunioribus Canonicis primum permisum, deinde per statuta adeo iniunctum fuerit, ut in aliqua Studiorum Vniuersitate Theologie, iuri canonico aliisque disciplinis statui suo congruis operam nauarent o).

a) Cap. 135. Haec simul faciunt ad confirmandum id, quod superioris (§. XVII) dixi, non omnes, qui in congregatione viebant, Canonicos fuisse; hic enim discernitur inter eos, qui in congregatione nutritiuntur vel erudiuntur; si quis putet, eos, qui tantum eruditabantur, pueros extraneos fuisse, scholam claustralem karis horis frequentantes, ibidem apprehender, clericos fuisse seu tonsuratos, ad vitam communem adstrictos, qui ad gradus ecclesiasticos, seu ad ordinum suscepitionem praeparabantur; ita enim cit. cap.: „ob hoc constituendum oportuit, ut si quis in Clero puer est, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorantur . . . deputati probatissimo Seniori, quem & magistrum doctrinae, & testem vitae habeant.“ Similiter in regula CHRODEGANGI cap. 2. continetur: pueri parvi vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordinis suos custodian. De pueris a parentibus suis monasterio oblatis vid, REG. BENEDICTI cap. 59, 30 & 37.

b) HARZHEIM Tom. I. pag. 282, An. 789.

c) FLOERKE de Canonico Scholastico. Ge. Lud. BOEHMER de tempore studiorum legitimo a Canonicis obseruando in eius Obseru. I, Can. Num. VII.

§. XXX.

Licet scholae claustrales interierint, hodie tamen Cantori & *Viris quo offici sacerdotia.*
Scholastico id iuris commune est, quod iuniores Canonici seu
Domicellares eorum correctioni & disciplinae adhuc subsint.

Can-



Cantori speciatim incumbit, in frequentationem chori, Scholastico, in eorum mores & studia literarum inuigilare; e qua disciplina sive post certi temporis per statuta definiti lapsum, sive studio biennali aut triennali absoluto, sive tum demum solenni emancipationis ritu dimittuntur, si certus post ipsos receptorum numerus fuerit completus.

Cantores caeteroquin etiamnum in regula

1mo officii diuini in choro celebrandi curam gerunt, ideoque Vicarii eorum correctioni speciatim subiiciuntur; non tamen

2do ipsimet nunc canendo praeire solent, sed hoc munus in Vicarios constitutos, ideo Succentores dictos, deuoluerunt, quibus ob hanc causam

3tio e reditibus ad speciale officium Cantoris destinatis, in regnla pensionem annuam praebere tenentur.

§. XXXI.

*Continua-
rio,*

Scholae claustrales cum vita communī non statim dissolatae, sed in aedes Scholastico assignatas tantum translatae fuerunt, in quibus iuniores Canonici sub Scholastico vitae teste, morum & doctrinae magistro vitam communem continuabant. Verum duo in documentis historicis deprehenduntur, quae his scholis prorsus abrogandis ansam dederunt: primum, quod Scholastici integras suorum discipulorum praebendas percipientes, ex cupiditate & res suas augendi studio, illis vitae subsidia nimis parce

parce admensurauerint; hinc eadem querelae a Domicellaribus contra Scholasticos prepositae fuerunt, quas Capitula tum temporis contra Praepositos mouebant. Alterum fuit, quod Scholastici quandoque ipsimet literarum non satis gnari, aut sui numeris incurri essent; ubique vero deprehenderetur, in Academiis artes & scientias maiori cum fructu hauriri posse; hinc, Scholasticis etiam inuitis, Domicellaribus permisum fuit, ut reliqua Schola canonica ad Academias studiorum causa proficiscerentur. In locum scholarum claustralium aliae subrogatae fuisse videntur, quae modo plerumque Ecclesis tam cathedralibus quam collegiatis sunt adnexae, intuitu quarum

imo Scholastico hodieum ius inspectionis & visitandi competit; cumque

2do, hae scholae e redditibus ad scholam claustralem olim definitae erectae fuerint, e quibus decerpta portio vel iure perpetuo Ludimagistro assignata fuit, vel a Scholastico singulis annis eidem praebenda est, ideo

3to Scholasticus ius quasi patronatus obtinet, vi cuius Ludimagistrum denominare atque constituere potest; ex eadem ratione

4to, 5 de supplenda congrua Ludimagistri, vel de refectione scholae agatur, hi sumptus in regula e redditibus Scholasteriae, ad haec onera vi fundationis destinatis, praefundiunt; cum denique

sto. Scholasticus vix non solus olim literis imbutus esset, aut scientia prae aliis collegii membris eminenter, ideoque ad chartas Ecclesias concepiendas & conscribendas, argue ad alia negotia in scriptis expedienda adhiberetur, hodie ipsi vi statutorum plerumque specialis incumbit obligatio, iura Ecclesiae tum extra tum intra iudicium defendendi.

*z) Custos.
dis.*

Officium Custodis in neutra regula describitur, sed in illa CHRODEGANGI tantum occasione pauperum matriculae inscriptorum eiusdem mentio fit. Cum enim auctor regulae animaduerisset, hosce pauperes rerum christianarum ignaros & ineuriros esse, praecepit, ut alternis sabathis in Ecclesia congregati doctrina christiana imbuerentur; in quem finem prosequitur: „dicta tertia, si Episcopus non venerit, tunc Presbyter Custos Ecclesiae S. Stephani a) in vices illius iuxta capacitatem suam & legit, & doceat eos viam salutis . . . & ipsi Presbytero confessiones suas bis in anno faciant ipsi matricularii“ b). Vnde colligitur Custodem Ecclesiae cathedralis

imo velut Archipresbyterum urbanum consideratum fuisse, qui vice Episcopi in officio diuino, in praedicatione verbi diuinii, & in Sacramentorum administratione fungebatur; ideoque

zdo Custos etiamnum ille inter Canonicos Presbyter est, cui cura animarum in collegio incumbit; cumque

310

3^{io} negotia inter Capitulum & extraneos in Ecclesia inveniuntur c), verosimile est, sigillum inter res pretiosas Ecclesiae a Custode seruatum fuisse, & ob hanc causam eum hodiecum in pluribus Capitulis etiam sigilli custodem esse.

a) In qua Cathedra episcopalis constituta est.

b) Cap. 34.

c) „Asum & datum in choro Ecclesiae,“ apud WILHELMIN Diplomataria I, pag. 229. Ante maius altare, ibid, pag. 231. Iuxta chorum: pag. 278 345. Olim contractus plerumque inserviando, talis Sanctorum reliquis, firmati fuerunt; capsulae vero reliquiarum etiam in Ecclesia seruabantur, cuius claves penes Custodem erant, vt colligitur ex eiusdem regulae cap. 4. Inde derivandum esse videatur ius, Custodibus plerumque competens, constituendi aeditus & campanarios,

§. XXXIII.

Quae de officio Portarii dicenda forent, et superius (§. III) <sup>a) Portarii
et ptocho-
trophio
Præfetti.</sup>

allatis satis elucebunt. Cum in regula CHRODEGANGI reperiatur, quosdam pauperes matriculæ inscriptos fuisse, & ex Ecclesiae redditibus stipendia perceperisse a), de his vero in regula Aquisgranensi nullum occurrat vestigium, verosimile est, pauperes illos matricularios deinceps in ptochotrophio congregatos fuisse. Hodie enim plerisque Ecclesiis cathedralibus hospitalia adiuncta esse cernimus, de quibus in regula Aquisgranensi, velut de re iam tum temporis vbique existente, constituitur: „vt Canonici tam de frugibus, quam etiam de omnibus eleemosinarum oblationibus in usus pauperum decimas libentissime conferant ad ipsum hospitale; & boni testimonii de ipsa congregatione frater constituantur, qui hospites & peregrinos aduentantes suscipiat, eisque

necessaria pro viribus libenter administret, qui etiam ea, quae in
vſus pauperum cedere debent, nequaquam in fuos vſus reflextar,
ne cum Iuda, loculos Domini furante, sententiam damnationis
excipiat “ b). Hodie administrationi hospitalis officiales facu-
lares praefici solent a Capitulo, cui gestae administrationis ra-
tionem reddere tenentur.

a) Cap. 34. Inde forsitan derinanda est origo illorum pauperum matroniariorum, qui
vulgo die *Stuhlbülder* vocantur.

b) Cap. 141.

ULB Halle
007 366 752


3



VD 18



Farbkarte #13



DISSE^{1795/1}TATIO IN AVGVRALIS IVRIS ECCLESIASTICI
DE
**VITA CANONICORVM
COMMVN**¹⁴⁵
EIVS QVE
VESTIGIIS HODIERNIS.

QVAM CVM SVBINCTIS
EX VNIVERSO IVRE POSITIONIBVS
IN ALMA IULIO-DVCALI WIRCEBURGENSIVM ACADEMIA
AVCTORITATE INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRAESIDE

IOANNE PHILIPPO GREGEL,

I. V. D. REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI WIR-
CEB. FRANCIAE O. D. CONSIL. ECCLES. IVRIS ECCLES. PROF. PVBL. ORD.
IN SIGNIS ECCLESIAE COLLEG. IN HAVGIS CANON. CAPIT.

PRO
LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
LEGITIME CAPESSENDI

PUBLICAE ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
MICHAEL ANTONIUS LOEWENHEIM,

DETTELBAENSIS.

WIRCEBURGI IN AUDITORIO IVRIDICO
DIE XVIII. IULII MDCCXCV.

TVPIS FRANCISCI ERNESTI NITRIBITT, UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.